ORATIO

IN FUNERE

CLEMENTIS XII

P. M.

HABITA

IN MAJORE ECCLESIA AVERSANA

AB HIERONYMO SERAO

Ejusdem Ecclesiae Canonico

XI. Kalendas Martii
MDCCXXXX.





ILLUSTRISSIMO AC REVERENDISSIMO DOMINO

D. NICOLAO SPINELLO

EPISCOPO AVERSANO

HIERONYMUS SERAUS

FELICITATEM.




I tempus mihi ullum anteà oblatum fuit ejusmodi, quo mei me ingenii magnopere poeniteret; id certe ante hos paucos dies incidit nec opinanti, cum auctoritate imperii Tui, Praesul Amplissime, CLEMENTEM XII. P. M. nuper totius Christiani orbis luctu elatum, inter parentalia sacra indicta & procurata abs Te, laudandum e loco superiore suscepi. Cum enim intelligerem, Te summi sanctissimique Principis, de omni quidem hominum genere praeclare meriti, de Te autem etiam praeclarissime, quem vivum atque

 impe-

imperitantem omni officio ac pietate prosecutus esses, ejusdem extincti memoriam nomenque tam colere impense, nunquam ut Ipse Tibi in eo ornando satis esse facturus viderere; dolebam equidem, graviterque ferebam, nulla parte me posse vel illius in Te meritis, vel observantiae in illum tuae parem orationem afferre. Tamen, quoniam mandatam provinciam detrectare neque jus mihi, neque fas erat; intendi, quod ea brevitate temporis potui, nervos industriae; ea me cogitatione sustentans, tali tantoque Pontifice ad laudandum proposito, facile me infantiae meae abs Te maxime, tum ab Aversano populo universo veniam impetraturum. Neque vero mea me (quae singularis est humanitas tua) opinio spesque fefellit. Modo cum, quod de CLEMENTIS XII. *laudibus verborum feci, id tollendum servandumque, ac in lucem edendum jusseris: nae Tu agis cum Illo quidem pie atque officiose; ut, cujus in Te insignia exstant benevolentiae documenta, erga eum Tuae observantiae studiique sempiterni testimonia nemo desideret: mecum autem, quid dicam? jure prorsus tuo: nimirum ut non voluntatem modo meam, sed & existimationem, quantula illa est, si modo est, imperio tuo, officioque devoveam.* Nec *id vero non libens faxim: eritque pulchrum mihi atque praeclarum, Tibi, ut spero, non injucundum, eandem hanc lucubratiunculam & Tuae incomparabilis in* CLEMENTEM XII. *& meae in Te, Praesul Amplissime, eximiae observantiae apud homines testem exstare.*

SI



I qua funerum officia justa revera, sanctaque ac laudabilia exstiterunt; nullum profecto alias nec justius sanctiusque illo, nec laudabilius inventum est, quod hoc tempore Parenti optimo pietas, Principi benemeritissimo observantia, gratusque animus, summo Christianae Ecclesiae Pontifici religio, extincto ereptoque persolvit. Neque vero tuae unius hae partes sunt, quamvis sint illae praecipuae, longeque gravissimae, NICOLAE SPINELLE, Amplissime Praesul; qui & nuper nuntii hujusce acerbitate vehementer commotus es; & hoc ipso tempore, funebri isthac pompa pie magnificeque instituta, publicis sollemnibusq; parentalibus indictis, laudatione etiam hac qualicunque imperata; piacularem divini Agni hostiam rite pro aeterna spiritus illius requiete obtulisti: sed & ego ipse, quem ad dicendum surgere voluisti, & conventus hic frequens ordinis plebisque tuae, unaque omnis plane Christianus Orbis CLEMENTEM XII. maximum sanctissimumque Pontificem pro suo cujusque officio sublatum dolet. Nam etsi illius vel provectissima aetas, vel afflicta & profligata valetudo haud ita omnino insperatam nobis tantam jacturam, atque inopinatam effecerant; haud tamen illam minus acerbam, minusque luctuosam efficere valuerunt. In communi ergo, justissimaque lamentationis caussa, una reliqua est ad nos consolandos recordatio, quae videlicet omnis in laudum illius commemoratione versetur. Quamvis enim oratio ejusmodi potius ad

 acuen-

acuendam doloris asperitatem, quam ad leniendam pertinere posse videatur; tamen officii pietatisque vestrae est, Auditores, ita Parentis optimi gloriam vestris utilitatibus anteferre, ut CLEMENTIS XII. & virtuti, & virtutis praedicationi aequis animis ac volentibus faveatis. Verumenimvero cum ad dicendum de supremo Ecclesiae Moderatore, Christique Jesu in hac tanta procuratione Vicario aggredior; magno statim timore corripior, ne laudationis genus ratioque inita a me minus digna tanta vel gravitate, vel sanctitate personae, minusque apta reperiatur. Itaque quae Majorum decora, quae clarissimae inter Italos vetustissimaeque Familiae ornamenta aliis oratoribus aditum ad commendationem, atque adeo viam latissimam aperirent; ea mihi hoc tempore de Christiani Pontificis laudibus differenti, propemodum ceu scopulum quendam, ac syrtim, caute praetereunda esse perspicio. Quanquam enim omnia id genus munera atque ornamenta fortunae saepe a praestanti bonitate ingenii, saepe ab singulari subactaque virtute pietati subservire, magnoque usui esse jubentur; non est tamen, cur in augusta, divinaque Pontificis imagine adumbranda de generis claritate magnopere laboremus. At enim ut cetera omnia Gentis, belli pacisque & artibus florentissimae, & gloria atque insignibus ornatissimae decora praetermittam, nullumque ex tanta Heroum multitudine appellem; te tamen, Andrea, Fesulanae Ecclesiae sidus, quem summa in omni genere virtus ad divorum religionem & sanctimoniam consecravit: te, Americe, qui ob eximiam virtutum laudem primus Florentinorum Archiepiscopus creatus es; vosque Petrum, ac Nereum R. Ecclesiae Cardinales amplissimos, eosdemque sapientissimos, tacitus omni-

no praeterire non possum. Nimirum ut in vestibulo omnes intelligant, egregiam hanc juvandae ornandaeque Ecclesiae gloriam in Laurentium jure veluti hereditario propagatam esse: rursusque antiquam generis laudem in herede hoc, ingenti virtutis ac dignitatis accessione,cumulatam. Jam vero ut de Laurentii ipsius laudibus, ac primum de hominis ingenio, animique habitu dicamus; mihi videor tuto affirmare posse, proprium illi perpetuumque fuisse, ut ad praeclara omnia & natura factus, & industria adjutus, & labore perfectus esse videretur. Egregia, celsaque indoles animi, virtutis gloriaeque stimulis plurimum agitari solita. Eadem nec a mollitia enervis ac dissoluta, nec ab severitate aspera atque agrestis; sed mirum in modum aequabilis ac temperata. Beneficii cum dandi, sicubi posset, studiosus erat; tum reddendi diligentissimus: ut & munificentia sibi plurimos haberet obstrictos; & ipse relata aliis gratia; se, cum posset, libenter exsolveret. Pudore atque honestate, cujus cum ad omnem laudem, tum ad Ecclesiastici muneris sanctitatem vis est maxima, usque adeo per omnem vitam est delectatus, ut inter lautissimae Domus delicias, inter plurima incitamenta opportunitatésque licentiae, inter innumerabilium hominum vel necessitate partam, vel voluntate quaesitam familiaritatem, semper non modo a crimine, sed a criminis etiam suspicione vacaverit. Justitiae autem cum primis tenax cultorque insignis prope ad religionem: qui alienas opes, utilitates, existimationem non modo sibi sancta esse perpetuo duxerit; sed ne verbo quidem ab aliis violari apud se aliquando siverit. Porro divitiarum cupiditate, qua & cetera perturbantur officia, & maxime Ecclesiastici ordinis dignitas labefactatur, sic ille semper abhorruit, ut

 ne-

neque earum unquam aggerendarum curam cogitationemque fuſceperit; & ita ſervandas judicarit, ut illas paſsim vel pauperum uſibus, vel amicorum temporibus patere ac prodeſſe pateretur. Pateretur? imo vero cuperet maxime, atque geſtiret. His itaque animi dotibus exornatus, ad ſacrum Eccleſiae ordinem cum ſe Laurentius applicuiſſet; divino conſilio factum eſt, ut, qui olim omnium in Eccleſia graduum munerumque diſtributor futurus erat, idemque temperator & cenſor; is a primo velut honorum gradu exorſus, inque levioribus antea partibus agendis praeclare verſatus, aliquando ad ſummam, caeloque proximam Poteſtatem inſtructior, atque exercitatior adveniret. Nam Romae inter lectiſſimos Eccleſiae S. Mariae Majoris Canonicos in ipſo juventutis flore cooptatus eſt. Deinde cum ad rem publicam feliciter acceſſiſſet, coepiſſetque, Romanorum Praeſulum numero additus, honoribus ſervire; Pontificii aerarii curatio, quae videlicet non pecunioſum modo hominem, ſed fidelem in primis, induſtriumque ac providum expoſcit, Corſino commiſſa eſt; ab eoque ita geſta, ut aliquando rem ipſe ſuam, quam vel publicas rationes, vel ſuam fidem quidquam detrimenti capere maluerit. Multa ſunt in ea provincia adornanda a Laurentio vel facta fortiter, vel proviſa ſapienter, vel decreta utiliter, vel parata opportune. Ergo cum egregiam apud omnes bonos providentiae, dexteritatis, abſtinentiae laudem promeruiſſet, operamque ſuam ac fidem Clementi XI. ſummi judicii, divinaeque ſapientiae P. M. abunde probaſſet; in ſacroſanctum Cardinalium Collegium, omnium ordinum gratulatione, relatus eſt. O diem illum beatum! fauſtum Romae, laetum Etruriae, toti Chriſtianae rei ſalutarem! quo die haec tanta virtus, aditu ad

Pe-

Petri Cathedram patefacto, Catholicae Ecclesiae felicitati & gloriae dicata ac reservata est. Tanta ergo Laurentius auctus accessione dignitatis, sic deinceps impensius virtuti & laudi, sic Ecclesiae utilitatibus atque splendori, sic humanitati etiam ac officio deservivit, ut tribus Pontificibus oppido carus, populo plebique Romanae pergratus, amicis jucundissimus, in omnium oculis atque ore ferretur. Neque vero quod domum suam plurimis semper, sed iisdem honestis atque ornatis viris patere, celebrarique vellet, in ea re humanitatis modo, ac liberalitatis specimen praebuisse illum reputandum est: sed ad sanctiorem multo, dignioremque usum totum id genus feliciter fuit ab homine sapientissimo revocatum. Nimirum ut Juventus illa Romanis honoribus initiata, ab iis conventibus, ab iisque relaxationibus, quae decoris minus, periculi plus habebant, avocaretur: tum quoque ut illuc omni ex urbe congregata, haberet apud sese de communibus caussis, negotiisque gravissimis differendi locum non opportunissimum tantum, sed prope etiam voluptarium. Adeo verum est, summorum virorum non negotii solum, sed otii quoque rationem exstare: ipsorumque ne animi quidem laxamenta vacare a publicae utilitatis laude, atque virtutis. Quod si tantum ejus viri remissioni tribuimus; quantum industriae, ac labori? quantum vigiliis, curisque pro Romanae Curiae, pro totius Ecclesiæ splendore atque incolumitate susceptis? quantum illius in dicenda in sanctissimo Senatu sententia fidei, sagacitati, constantiae? quantum Regularis etiam disciplinae, cujus forte tutelam gerebat, fovendae juvandaeque studio tribuemus? Sed enim super eam honestatem sanctitatemque consilii, qua ille subsecivarum quoque hora-

 rum

rum fructum ad virtutem praeclare referebat; alterum etiam Ecclesiae emolumentum ex illiusmodi instituto occulta divini consilii vis comparabat. Scilicet ut is tanta variorum hominum consuetudine, suo non modo usu, sed prope etiam periculo disceret, eccui se hominum generi Princeps committat ac dedat: quam facile hic in veri ignoratione atque errore versetur: tum quae sit hominum de imperii conditione, de vita Principis persuasio; quae mens; quis rumor: tum illud quoque, Christianae rei toto orbe terrarum tempora ecquam ab Romano Pontifice opem exposcant. Quibus, aliisque id generis plurimis longo usu cognitis penitusque imbibitis, Laurentii animus, ceteroqui acrior atque erectior, sensim ad Summi Pontificatus rationem absolutissimam divinitus conformaretur. Quid? quid vos interea, Romanae Ecclesiae Patres sanctissimi? uno in conclavi, sancto quidem illo atque augusto, cetera perquam incommodo, diurna nocturnaque consilia agitatis, ecquem Petri Cathedrae, Benedicti XIII. Pontificis pientissimi fato vacanti ac viduae, ceteraeque Ecclesiae universae summum sacrorum Antistitem praeficiatis? Quid? num Cardinalis Corsini sapientiae, religionis, fortitudinis plane Pontificiae quispiam vos, vos, inquam, commonefaciat? Quam ob rem vos ipsi curis ac labore, Ecclesiam exspectatione diutius distineri patiemini? At o factum bene! Auditores: Auctori, ac duci consilii Christo gratias sempiternas: tuque o macte, Patrum purpuratorum conventus amplissime. Laurentio Cardinale Corsino ad Petri sedem evecto, neque vos unquam judicii vestri, neque sui unquam CLEMENTIS XII. Ecclesiam poenitebit. Age vero, Pontificis hujus Maximi quae in Ecclesia gerenda ratio fuerit, quae mens, quae instituta, videamus. Certe

qui-

quidem, illud ſtatim a ſuſcepto Pontificatu conſilium, quo lectis ex omni Cardinalium coetu nonnullis, gravitate, prudentiaque, ac ſtudio Eccleſiaſticae diſciplinae magis vigentibus; flore, inquam, ampliſſimi ordinis; cum iis graviſſimas curas ſuas, ſummamque rerum partiri inſtituit; quam laeti ad univerſam Eccleſiam, quam praeclari ominis inſtar fuit? Nempe hoc uno experimento & prudentiam ſingularem, & admirandam animi modeſtiam, & ſtudium publicae utilitatis incenſiſſimum probavit; boniſque omnibus ad laetiora jam ſibi pollicendum ſignum aliquod ſuſtuliſſe viſus eſt. Nec porro ab eo, quod ſemel fuerat ingreſſus, curriculo vel minime deflexit. Nam & graviſſimorum, quos ipſe adſciviſſet, Adminiſtrorum opera uſus perpetuo eſt; nec quidquam, magnum, leve, mediocre, niſi per eos, quorum id eſſet muneris, tranſigebat. Verum ita ſinebat multorum auxilio ſe tantarum curarum mole levari, ut nihilo ſecius, quod ſuarum partium erat, obiret ipſe quam diligentiſſime. Quippe conveniendi ſui, Pontificis, inquam, Maximi, ejuſdemque graviſſimis non curarum modo, ſed & aetatis, & valetudinis incommodis implicati, tantam faciebat cuivis hominum generi quotidie poteſtatem, quantam nedum ab ea majeſtate Principis, ſed vix a privato quodam vel patientiore tibi polliceri facile potuiſſes; vix ut ſibi curandi corporis tempus reliquum faceret. Tum quibus facillimos ad ſe acceſſus eſſe voluerat; eiſdem ſe ipſe multo etiam faciliorem, benignioremque praebebat: prorſus ut ab ejus alloquio conſpectuque nemo, non dico triſtis, ſed non laetus ac prope beatus diſcederet. A cognoſcendis autem, expediendiſque negotiis nec dolore ullo, nec imbecillitate virium, nec ipſo paene vitae diſcrimine unquam ceſſabat; illudque clariſſimi Principis

cipis

cipis fortiter dictum,& voce saepissime, & re usurpabat; imperatorem stantem mori oportere: nam saepe extremo prope spiritu connitens, ne inter agendum occumberet, verendum fuit. Porro quidquid tandem rerum omnium ageretur; id ille ita tractabat, nulli ut caussae vel levissimae sibi indormiendum existimaret. Ac licet ad lenitatem esset natura & voluntate propensior; clementiamque Christiano Pontifice dignissimam etiam nomine adamasset; tamen si qua caussa incidisset ejusmodi, in qua forte vel justitia, vel religio, Sedisve Apostolicae dignitas dimicaret; cerneres illum scopuli instar immotum atque obstinatum, nulla vi posse de propositi statione moveri. Nulla hanc Pontificiam pectoris firmitatem privatorum ratio commodorum, nulla temporum asperitas, nulla rerum perturbatio, nulla impendentis calamitatis atrocitas, nulla exanimati paene corporis infirmitas labefactare potuerunt. Deus immortalis! quam pulchram, quamque praeclaram clementiae atque constantiae temperationem! Atqui haec, quam uno paene spiritu pronuntiavi particulam laudationis, qualem quantamque laudis materiam habeat; etiam me tacente, cognoscitis, Auditores. Cum enim haec scilicet omnia non ad unius temporis, non ad unius facinoris, sed ad totius Pontificatus, ad singulorum dierum atque operum commendationem pertineant; ecquid de CLEMENTE praedicabimus vel majus ad gloriam, vel ad virtutem uberius, quam illum cum primis studiosum atque assiduum, justum, mansuetumque, ac fortem Pontificem exstitisse? Verum ut certis quibusdam praeclare factorum tractibus oratio deferatur; praestantissimi cujusque imperii, maximeque omnium Pontificii, gloriam ac felicitatem contineri putaverim iis videlicet bonis ampli-

plificandis, quibus ipsius rei publicae felicitas & gloria continetur; religione, litteris, commoditate, ac magnificentia: de quibus prope exitum orationis meae dicam & parcius, & tenuius, quam rerum vel multitudo, vel dignitas postularet. Nam CLEMENTIS quidem XII. studio ornandae promovendaeque Religionis quae par poterit oratio reperiri? Sane dicatarum Deo aedium cultus ac splendor & ad exercendam religionem, & ad testandam, & ad augendam plurimum valet; sic, ut ipse in sacris litteris Deus ex templi sui negligentia atque squalore reverentiam quoque Numinis abjectam evincat. Urbs autem Roma cum olim templorum nitore & amplitudine omnem terrarum orbem non vincebat modo, sed splendore etiam rapiebat: tum hoc Pontifice longe se ipsa ornatior, atque splendidior visa est. Nam ceteras ut omittam ab eo aut exaedificatas, aut reparatas, aut expolitas, aut ditatas Ecclesias; vel una Lateranensis Basilicae, omnium scilicet quae in Urbe, quaeve in orbe sunt, Ecclesiarum parentis ac principis facies, opere insigni, maxima impensa, labore plurimo exornata, amplissimum ac sempiternum exstabit CLEMENTIS XII. religionis magnificentissimae monumentum. At enim ad caussam leviora haec: illa multo graviora, quae ad *templum* spectant *Dei vivi, quod sumus nos, qui aedificamur domus spiritualis*. Porro in hanc partem cum nil sit Episcoporum ordine vel ad dignitatem, vel ad salutem Ecclesiae potius, atque praestantius; tam rei gravitati Pontificis sapientia probe respondit, ut nonnisi spectatae virtutis hominibus, hisque in Ecclesiastica militia dudum stipendia rite promeritis, ad tantam muneris sanctitatem aditum, atque adeo spem ullam esse vellet: tum Episcopalium officiorum curam diligentiamque omnium, maxime vero

ejus,

ejus, quod ceterorum instar est, assiduitatis ac residentiae, severissime urgeret. Disciplinae vero Ecclesiasticae seu restituendae, seu provehendae quanto studio flagrasse illum statuetis, qui cum turbatum aliquid in Syrophoenicia audivisset, ad usque eam, tanto terrarum mariumque tractu remotam, regionem, virum lectissimum, cujus in fide ac sapientia plurimum conquiesceret, ad habendum de rerum summa Concilium, ante paucos hos annos e suo sinu dimittere non dubitaverit? Qui & degentium in illa ipsa terrarum parte Monachorum vivendi rationes cognitas probarit; probatasque paterne complexus sit? Qui Aegyptios, qui Aethiopes, qui Melchitas Monachos, religionis vitaeque perfugium ac subsidia requirentes, non modo benignissime acceperit; sed & templis sedibusque, atque omni in Urbe ope donatos, Romanae Ecclesiae, tantarum gentium defectione moerentis, & spei & solatio reservarit? Qui Graecae etiam juventutis ut institutioni, ac saluti prospiceret, amplissimum in Lucanis Seminarium e fundamentis excitaverit, omnibusque tum ad profectum, tum ad perpetuitatem adjumentis instruxerit? quo plane divino consilio nil excogitari potuit non disciplinae solum, sed etiam Catholicae Fidei amplificandae conducibilius. Ita enim Graecorum soboles Christiana fide pura putaque, vetustis gentis deliriis excussis, imbuta, tum rite sacris initiata; & suam tueri, & aliorum procurare facili negotio sanitatem queat. Atque o quam felix, quamque beata Ecclesia! quam tibi etiam, CLEMENS XII. obstricta beneficio futura est! cum sensim eorum hominum & pertinacia emollita, & labe detersa, quaesitae tanto opere integritatis Fidei, animorumque foederationis gloriam tibi praeter reliquos reservatam gratulabitur. Dedi-

li-

ligentia autem, caritate, munificentia, quam trahendis ad Christum gentibus, & positu a nobis, & religione remotissimis; quam Saxoniae populis ad Romanam fidem alliciendis; quam nonnemini etiam virorum principum ex haeresi ad Catholica instituta revocato, bonus Pastor impendit, hic mitto dicere, Auditores: quae pauca de CLEMENTIS augendae Religionis studio vix numerando percensui; ea satis, credo, probabunt, hujus Pontificis sedulitatis, caritatisque eosdem fines fuisse, qui potestatis atque auctoritatis; eumque hoc potissimum nomine cum sanctissimis illis Pontificibus, qui Christianam rem illustrarunt, auxeruntque maxime, posse conferri. Jam vero ad Litterarum ornamentum atque praesidium & ipse sua sponte, celsitateque animi ferebatur; & domesticis etiam majorum exemplis vocari se sentiebat. Meminerat enim praeter ceteros Petri illius, qui postquam ob egregiam Ecclesiae & Imperio navatam operam, ab Urbano V. P.M. Romanam purpuram, a Carolo IV. Rom. Imperatore sibi ceterisque Florentinis Episcopis S. R. I. insignia retulisset; Florentiae celeberrimum disciplinarum Gymnasium erexit, censuque ditavit, ac legibus communivit. Itaque CLEMENS vix Apostolica Sede totius Christiani orbis plausu conscensa, coepit de scientiarum cultu augendo, deque studiorum ratione felicius recudenda, viris etiam doctissimis in consiliorum societatem accitis, diu multumque cogitare. Tum libris, scientiarum videlicet securitati ac perpetuitati, tantum curae atque honoris adhibuit, ut & domi quidem suae maximam splendidissimamque aedium partem illis assignaret; & Vaticanam Bibliothecam, dignam scilicet Pontificia majestate supellectilem, non modo laxatis spatiis, plu-

teis instructis, novis libris coemtis, aut ab omni terrarum angulo conquisitis, vasis Etruscis, veterumque Graecorum, ac Romanorum Imperatorum numismatis pretiosissimis comparatis, ornandam in praesens, ditandamque curaret: sed in sempiternum etiam tempus prospiciens, & futuras omnes impensas in Papalem fiscum rejiceret, & opportuna omnia litterarum illi thesauro tuendo severissimis legibus constabiliret. Quid de Capitolio dicam, quod ab hoc Pontifice immensa simulacrorum, litteratorumque monumentorum copia exornatum, tantam vel in magnificentia atque pompa doctrinae lucem & adjumentum ostentat? Quid de Picturae, de Scalpturae, de Chalcographiae etiam studio retinendo, excolendoque? quam in rem unam Princeps incomparabilis & sestertium vicies libenter impendit, & multa quoque in futurum tempus sapienter edixit. Itaque quod hoc tempore litterae, artesque ceterae elegantiores in defuncti jam memoriam exornandam, aeternitatique ingenti cum laude transmittendam, collatis veluti operis, conspirarint; nae illae patronum suum, atque amplificatorem videntur agnoscere;& deesse, qua re cunque possent, officio noluisse. De commoditate autem & magnificentia nihil est, cur agam pluribus, Auditores: quo enim illustriora Pontificiae munificentiae monumenta exstant, eo minus oratoris operam industriamque desiderant. Sed & conjungendas eas oratione judicavi, quas video ab hoc Pontifice nunquam fuisse vel in proposito, vel in actione discretas. Ita enim ad eximia omnia factus ille, comparatusque erat, nihil ut magnifice faceret, quod non simul esset utilissimum; nec quidquam rursus utiliter, quod non simul magnificentissimum videretur. Testis est Ravenna (quin testis ipse es locupletissimus, qui tum

aderas,

aderas, & rerum etiam pars non modica exſtitiſti, Ampliſſime Praeſul) cui urbi cum gemini fluvii majorem in modum eſſent infeſti; CLEMENS retortis in alium curſum amnibus atque deflexis, pontibuſque atque immanibus molibus extructis; caelo ſalubritatem, indemnitatem agro, civibus, viatoribus incolumitatem aſſeruit. Teſtis Ancona, quae portu non ſolum ampliore, longeque quam antea, inſtructiore, ſed etiam tutiſſimo, immuni, celeberrimo ad totius Italiae opportunitatem aucta, ornataque eſt. Teſtis Pontificiae ditionis tractus omnis. quid? heus pueri, infelix genus, ac luctuoſum, quos vix maternorum viſcerum clauſtris emiſſos vel criminis alieni conſcientia, vel rerum deſperatio miſerandae neci nil meritos addixit atque devovit; ſi quam vitae, ſi quam ſalutis ſpem reliquam aſpexiſtis; ſi e faucibus fati ereptos victus, pietatis, induſtriaeque in omnem aetatem ſubſidia exceperunt; Parentis, Parentis, inquam, hujus ſtudioſiſſimi curis, laboribus, auſpiciis in omnem aeternitatem acceptum ferre non pigeat. Teſtis Roma ipſa, quae tam multis magnificentiae gloriaeque CLEMENTIS XII. veſtigiis impreſſa eſt, ut quocunque poſthac civium, exterorum oculi incurrerint; omnino in erecta, ampliata, illuſtrata ab eo delubra, in excitatas a fundamentis aedes laxiſſimas regiaſque, in aquarum ſalientium & copiam auctam, & fontes exornatos, in vias vel de novo, civitatis commodo atque ornamento munitas, vel molliores ac nobiliores effectas, in triumphales Arcus, ac trophaea Chriſtiani nominis reſtituta; uno verbo, in CLEMENTIS XII. immortalia beneficia vel inviti incurrant, neceſſe eſt. Ut urbs ad omnem majeſtatem & gloriam fato quodam ſuo facta atque educata, tantis ſe jam partibus auguſtiorem agnoſcat; veteres ut illos rerum Dominos aliquando dediſcens, malit jam

inde

inde Christianis Pontificibus, teque potissimum, CLEMENS XII. hoc etiam nomine gloriari. Quod enimvero tantum Urbis illustrandae studium eam quoque ob rem mirandum magis in hoc Pontifice, ac praedicandum est; quod cum ille tantorum operum fructum usumque nedum capere ullum, sed ne aspectum quidem unquam sperare prae valetudine posset; satis intellectum est, cum ista faceret, non voluptati illum suae, quae inde solet exsistere magna atque honesta, sed divino cultui, sed populi commodis, sed urbis ornamento tanto opere inservisse. At pro rerum humanarum vicem! A tantis operibus, tamque magnificis illico ad dolores, ad acerbitates, ad extrema omnia recidit ac decurrit oratio. Quamquam, si verum amamus, Christianaque scita, quibus sumus initiati, tenemus; nullum certe ad tanti Pontificis, vitaeque ejus omnis commendationem opus exstare fatebimur majus, atque insignius illa, qua cum semper in adversae valetudinis incommodis, tum vero in vitae reliquiis illis miseris usus est, patientia: quandoquidem haec *opus perfectum habet*. Igitur cum CLEMENS jampridem & oculis, & reliquo corpore ita esset affectus, nullum ut vitae fructum, praeter laborem doloremque caperet; ea tamen fuit pietate animi atq; constantia, quae & in Christianum hominem, & in Christianorum Pontificem conveniret. Nam quidquid temporis a publicis vacaret officiis, totum id sanctissimis precationibus tribuebat (quippe & multas religiosissime usurpabat ex tempore, & ad Canonicarum Horarum regulam quotidie precabatur, ejus scilicet opera atque oculis, qui sibi a sacris precibus erat, adjutus) neque unquam vox ejus ulla audita est, vel tum cum acerbissimis doloribus atque incredibilibus torqueretur, quae non dico iratum, non dico fastidientem, sed vel commo-

mo-

motum, ſenſumque capientem doloris indicaret. Cumque propinquantis jam fati a ſuis, moeſtis illis ac pavidis nuntium accepiſſet; non haerere, non tergiverſari, non animo, non vultu commoveri; ſed incredibili fortitudine planeque chriſtiana virtute paratum ſe atque expeditum divinae voluntati dedere. Mox Sacramentis, quibus ad caeleſtem beatitudinem capeſſendam inſtruimur, magno cum pietatis ſenſu perceptis; ſuis omnibus accitis atque adeſſe juſſis; qua ſolebat, majeſtate oris, gravitateque ſermonis profeſſus eſt: Se de Pontificatus ſui ratione non commoveri vehementer atque angi: quippe qui ad eam diem, quod norat, quodque ea infirmitate corporis potuerat, praeſtitiſſet, recta ſemper mente, ſanctoque propoſito: quando autem videre ipſe per ſe multa, atque efficere nequiverit, ſe eorum, quibus animi ſui ſenſa & cognita fuiſſe ſciebat, & ſancta, fidei commiſiſſe: aliaque in eam ſententiam ſapienter & graviter effatus eſt. Tum qua erat, & Apoſtolici ſtudii amplitudine, & poteſtatis; primum ſuis qui aderant, illacrymantibus, deinde Urbi Romae, Romanaeque ditioni, tum chriſtianis Principibus, tum Catholicae Eccleſiae univerſae, poſtremo toti terrarum orbi Pontificia paternaque benedictione bona omnia adprecatus, mortem ſapiente fortique homine, imo Romano Pontifice dignam oppetiit. O tuam, CLEMENS Opt. Max. recordationem nullo non tempore jucundam Eccleſiae, atque honorificam futuram! Certe ſi quidquam apud viros bonos virtutis decus, ſi apud humanos & officioſos comitatis gratia, ſi apud gratos & memores beneficentiae vis, ſi apud ornatos & ſplendidos magnificentiae gloria, ſi apud Chriſtianos homines ſummi ſanctiſſimique Pontificis ratio valeat; nullum omnino hominum genus, nullum ex hac ipſa frequentia caput eſt, cujus ex animo tua, CLE-

MENS

MENS XII. recordatio & gratia excidat atque obliteretur: nullaque futura est tam virtutis inimica posteritas, quae de tuis immortalibus in omne genus hominum meritis, de tuis laudibus conticescat. Vestrum est, Auditores, illam hoc tempore Pontifici benemeritissimo gratiam, quam ille a vobis maxime exspectat, rependere: nimirum ut, quam ipse vobis & saepe vivens impertiit, & moriens adprecatus est pacem ac tranquillitatem, eam vos illius Animae impensis a Deo precibus impetretis; precesque vestras & studia cum sanctissimi Antistitis, qui parentalia jam rite persolvit, nostra illa atque divina, studiis precibusque conjungite. Tum vero illud quoque etiam atque etiam a Christo, qui & Pastor ipse ovium est, & princeps Pastorum, Sanctissima ejus Parente, Pauloque Apostolo patronis ac deprecatoribus, postulate, ut & Ecclesiae Catholicae, suam jam orbitatem dolentis, & CLEMENTIS etiam XII. quae fuerant extrema intermorientis vota, celeri faustissimaque novi Pontificis creatione expleantur.